

44650

Dissertatio
INAUGURALIS
MEDICO - OBSTETRICIA
DE
PUERPERIO.





DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - OBSTETRICIA
DE
P U E R P E R I O
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
D O M I N I
P R A E S I D I S E T D I R E C T O R I S ,
P E R I L L U S T R I S A C S P E C T A B I L I S D O M I N I
D E C A N I
N E C N O N
C L A R I S S I M O R U M D . D . P R O F E S S O R U M
A N T I Q U I S S I M A E T C E L E B E R R I M A E U N I V E R S I T A T I S V I N D O B O N E N S I S
P R O
D O C T O R I S L A U R E A S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S
A C P R I V I L E G I I S R I T E E T L E G I T I M E
C O N S E Q U E N D I S
P U B L I C A E D I S Q U I S I T I O N I S U B J I C I T

*Henr. Augustus Nobilis ab Andrioli,
Illyrus Labacensis.*

Theses adnexae defendantur in Universitatis
aedibus die 12. Junii 1830.

V I N D O B O N A E ,
T Y P I S V I D U A E A N T O N I I S T R A U S S .

PIPERIATIO

UNIVERSITAS LIPSIENSIS - GESCHÄFTSSTELLUNG

44650



030014151

PROOEMIUM.

Dissertationem scripturo aliud, quam antecessoribus et collegis in proposito mihi non fuit — satisfacere officio lege academica cuique imposito doctoris in medicina lauream adspiranti. De cuius officii non minus, quam de diversarum, quas in dissertationis objectum seligere possem, totius medicinae materierum gravitate persuasus, quum haec omnia mente volverem nosocomii universalis divisionem, in qua parturae suscipiuntur, ingressus sum, ubi non solum largissima, quae circa partum fiunt et puerperii tempore contingunt, observandi data mihi est occasio, sed etiam experientia et humanitate celeberrimi D. Professoris, cui publice gratias agere gratus impellit animus, eruditionis latissimus apertus est mihi campus. Partus actu femina quum gravissimo, tum molestissimo fungitur officio, a natura sibi imposito. Summa, quam mater inde nanciscitur, dignitas aequa patet, quam auxilii ferendi necessitas. Quod auxilium ut ferant, homines omni aevo impulsos sese professi sunt, misericordiae esse existimantes. Inter quos permulti experientia genuina et eru-

ditione scientifica excellentes tum auxilio lato, tum operibus etiam monumentum et pulcherrimum et summe venerandum sibi exstruxerunt. Quid et quantum ex horum doctrina et experientia in meum opusculum redundavit emolumenti, eruditum lectorem non fugiet. Quod igitur mihi incumbit dissertationis inauguralis conscribendae officium, objecti dignitas, experientia circa hoc objectum largior et quae exstant et laborem facilitant, opera classica argumenti selecti lectori benevolo explicant rationem. Velim, ut alium meo exemplo provocarem ad thesim hanc vernacula elaborandam, qui experientia praestantior communi bono utilior reddatur. Qui me his satis excusatum esse intelligit, lector mihi erit benevolus.

Dabam Vindobonae 4^{ta} Junii 1830.

PARENTI OPTIMO

GRATISSIMUS FILIUS.

1.

Puerperae (cujus vocis etymologia neminem latet) nomine femina humana partu absoluto ad periodum menstruorum denuo ingruentem usque insignitur. — Puerperium itaque temporis dicitur spatium, quod partum absolutum et fluxum menstruum iterum ad parentem extremos agnoscens terminos mutationum physiologicarum serie in toto organismo femineo, praeprimis in partibus genitalibus contingentium notatur. Fluxum menstruorum denuo sese insinuantem alterum puerperii terminum considerandum esse, cuique patebit, qui meminerit, uteri metamorphosim, quae a conceptione initium ceperat, absolutam prius non esse, quam utero ad pristinum statum et peculiares suas functiones ordinarias, inter quas menstruorum fluxum physiologi ad unum omnes reponunt, reducto.

2.

Quas organismus femineus utero evacuato subit, mutationes vel ad partes sexuales restringi, vel ad coenaesthesin et reliqua organa referri, inveniet examinaturus.

Considerandae itaque veniunt primo mutationes in organis sexualibus contingentes, quae sectione priori, dein mutationes in sensu communi atque reliquis organis conspicuae, quae sectione altera comprehenduntur.

S e c t i o p r i o r .

3.

Inter partes organorum sexualium, quae puerperii tempore manifestis subjiciuntur mutationibus, referuntur: uterus, vagina cum genitalibus exterioribus et mammae.

Uterus hucusque centrum vitae *κατ' εξοχην* productivae, cum non solum germinis organici nutritioni, sed etiam suaemet ipsius substantiae evolutioni prospexerit, in conamine ulterioris evolutionis cohibitus aliam, regredientem, metamorphosim subit, quae mutationibus eo tendentibus, ut pristinus uteri status restituatur, manifestatur. Quas mutationes perlustranti patebit, esse quasdam, quae ad vitam plasticam referantur, et vel uteri magnitudinem et situm, vel ejusdem formam exteriorem, vel uteri interiorem superficiem respiciant; esse alteras, quae ejusdem vitam motricem concernant.

4.

Uteri, qui primis a partu diebus longitudinis sex circiter et latitudinis quatuor pollicum erat, atque cuius basis supra ossium pubis symphysis sat facile tangebatur, moles contractione sensim sensimque increscente ita imminuitur, ut decima die uteri basis supra ossium pubis symphysis amplius tangi non possit atque quinta aut sexta hebdomada, quae tempore graviditatem praecedente aderat, fere eadem restituta sit moles. Uteri contractio et imminutio rapidius in primiparis incedere et perfici obser-vatur, quod majori elasticitati et contractilitati nondum infractae adscribas. Nunquam tamen tanta est uteri post partum contractio, ut uteri virginei exiguum volumen adaequet matris uterus, quippe cuius moles semper ad-aucta, parietes crassiores et portio vaginalis brevior explorantis tactui sese offerunt. Dependet haec uteri imminutio ab uteri contractionibus nonnunquam vehementioribus, quibus fit, ut venae angustiores reddantur, arteriae in ductus spirales redeant, uteri itaque minori sanguinis copia irrigati vita plastica imminuatur, vasorum absorben-tium munus eadem uteri contractione ita incitetur, ut substantiae superfluae afferantur.

Hinc uteri post partum ad molem tam exiguum re-ductionem non solum vitae plasticae relative imminutae,

adscribas, sed insignem vasorum absorbentium in substantiis uteri plasticis afferendis et imminuendis vim agnoscas velim.

5.

Situs ratio plurimum ab uteri mole dependet; hinc sit, ut uterus primis a partu diebus mole sua impediatur, quominus in pelvim minorem descendat et dimidia ejusdem major pars supra pubis ossa, uti tempore graviditatis, dextrum magis occupans latus tangatur: cuius situs rationem ligamentum uteri teres dextrum, altero magis tensum, quod ultima graviditatis periodo locum habuit, in se continet, si non intestinum crassum, sinistram pelvoes partem decurrentis, et reliquorum organorum, cavum abdominale occupantium, situm in causa esse suspicaris. Serius mole imminuta in pelvim descendit uterus et ob pondus majus ligamentaque uteri lata laxiora profundorem plerumque, quam ante conceptionem, occupat situm. Sub hoc uteri in pristinum situm recessu regimine per verso frequens occasio dari potest uteri dislocationibus permanentibus. Caeterum uteri fundus magis antrorum ad symphysim ossium pubis et ejusdem orificium magis postrorum in excavata ossis sacri superficie invenitur.

6.

Formam uteri, per graviditatis tempus plus minus ovalem, ipso per partum evacuato ad rotundam, ab anteriore parte postrorum compressam, redire videmus. Portionem vaginalem, quae graviditate progrediente semper brevior reddit, et ultimo tempore uteri cavi inferius segmentum occlusit, sensim iterum mole augeri videmus ita, ut decima, aut nonnunquam duodecima primum die ad pollicis quadrantem longa vaginae immineat. Labia orificii uterini crassa et tumida, plerumque cicatricibus, a rupturis partu inductis, notata reperiuntur. Quinta vel sexta hebdomada vaginalis portio longitudi-

nem dimidii usque trium quadrantium pollicis adsequitur, quae tempore subsequente pristinae longitudini proxima redditur.

7.

Summa adtentione superficiei cavi uterini mutaciones, quae momentosissimae sunt, dignentur necesse est. Aliquot a partu horis in cavi uterini superficie videre licet ostiola venarum hiantia et sanguinem excernentia, hinc inde portiones membranae deciduae Hunteri, nonnunquam etiam placentae foetalis lacinias adhuc adhaerentes. In cavi uterini et vaginae superficie i. e. partim in placentae insertionis loco, partim in membrana mucosa, uteri cavum et vaginae interiorem superficiem investiente, peculiaris secretio, fluxus lochialis denominata contingit, quem, ut clarius sermone perstringatur, respectu qualitatis, quantitatis et durationis considerare oportet.

8.

Si naturae legem et auctorum de re obstetricia bene meritorum opiniones respicimus, lochia rubra, serosa et alba distinguenda esse censemus. Venarum ostiola, primis a partu diebus adhuc hiantia, sanguinem merum excernunt. Hic sanguinis fluxus, qui adhuc multo largior esset, nisi venarum ostia per activas uteri contractiones (dolores posthumos) angustiores redderentur, lochia rubra audit. Hac uteri contractione atque ipsa lochiorum secrezione adhuc praesentes portiones tunicae deciduae Hunteri nec non adhaerentes placentae foetalis laciniae ab uteri superficie solvuntur et deinde una cum fluxu lochiali, cuius partem constituunt, partim fibrosum texturam manifeste adhuc prae se ferentes, partim penitus resolutae excernuntur. Uteri contractione et imminutione progrediente interior ipsius superficies approximatur statui, qui ante conceptionem aderat, et venarum ostiola magis adhuc suo lumine privantur, ita ut cruori via amplius non

pateat, et ipsa tantum sanguinis serum transmittant. Quibus fit, ut fluxus antea cruentus in serosum, aquae, in qua caro recens lota est, simillimum, qui lochiorum serosorum nomen obtinuit, immutetur. Placentae insertionis locus parti, in qua laesio continui accidit, comparandus per secretionem propriam, puriformem, suppurationi non absimilem, ad statum pristinum reddit; ad quam et accedit, ut membrana mucosa uteri et vaginae prius serosam magis secretionem sustinens, nunc materiei spissioris, mucosae, albidae, nonnunquam lacti non absimilis secretionem largiatur. Hujus secretionis productum coloris gratia lochia alba, et quum similitudinem p[ro]ae se ferat cum lacte, lactea denominatur.

9.

Fluxus lochialis quantitatem, uti et menstrui, relativam esse, cel. Haller agnoscit, dicens: „Lochiorum copia incerta est; vulgo lochia aestimantur ad libram unam et libram unam cum semisse.“ Quae mediae lochiorum quantitatis determinatio non multum differre videtur ab Hippocratis *) effato, quod fluxus lochialis quantitatem ad uncias sexdecim usque viginti statuit. Haec tamen ab auctoribus tam illustribus stabilita quantitas criterium firmum in dijudicanda justa fluxus lochialis quantitate in casu speciali non largitur, quippe quae, quemadmodum reliquarum secretionum quantitas, summe variabilis est. Juvabit adferre, quae, ut fluxus lochialis intra sanitatis limites nunc largior, nunc parcior inveniatur, influunt momenta. Fluxum lochiale largiore reddunt omnia momenta, quae plethoram universalem aut localem procreant aut sustinent, uti: corporis constitutio plethorica, cibus et potus largiter nutriens, stimulans, nonnullarum secretionum defectus e. g. lactis, fatus corporis nimius, situs corporis erectus, motus vehemens, protractus praecipue

*) Hippocratis Coi de morb. mulierum lib. prim.

primis a partu diebus, partus protractus, partus exiguis intervallis sese excipientes. Quorum momentorum quae-dam ad uterum, cuius contractilitatem infringunt, majo-rem sanguinis copiam adlicant. Parciorem fluxum lochialem e contrario comitem habent momenta, quae humo-rum massam imminuunt et humores ab utero ad alias derivant partes, uti: corporis nutritio aut jam graviditatis tempore ex egestate vel nausea praesente, aut sub ipso puerperio retenta, haemorrhagia, lactatio praecipue duo-rum infantium, galactorrhaea; aut momenta, quae uteri contractilitatem bene vigere demonstrant, hinc est, quod fluxum lochialem in primiparis et junioribus parciorem observare liceat. Quaecumque ex nunc adlatis, quae intra sanitatis limites fluxum lochialem jam largiorem, jam parciorem reddere possunt, in censem traxeris, firmum tamen non habebis fundamentum, nisi simul fluxum men-struum consideraveris, cuius in dijudicanda lochiorum quantitate summam dignitatem cel. Stahl sic effatur: »Lochia mensium praegressorum indolem imitantur.« Quod adserum, ex individui et organi secernentis identitate per se illucens, largissima experientia celeberrimorum virorum comprobatum est. Perstante sanitate fluxum lochialem de-ficere raro est observare; memorat tamen cel. Haller *) unicum suae observationis exemplum et Dr. Storch obser-vasse refert, feminam, quae nec partus, nec puerperii tempore amisisset sanguinem, qua optima graviditatis tem-pore gavisa est, sanitate illaes.

10.

Non minus difficile est fluxus lochialis durationem determinare, quam incertam illius quantitatem, licet ob-

*) Celeb. auctor in opere elementa physiologiae corporis humani lib. 29. sect. 5. de lochiorum necessitate sermonem faciens adjungit: «Rarissimum est lochia absque noxa omnino nulla manare, vidi tamen in matrona nobili, quae post non pluri-mos annos, ante diem tamen, hectico morbo interiit.»

servationes circa durationis tempus institutae non tantis premantur difficultatibus, quam quae quantitatem determinandam concernunt. Conveniunt plurimae observaciones secunda, vel quarta hebdomada, nec non tempore his intermedio fluxum lochialem cessare. Fluxum lochialem, qui prius cessaverat, non nocuisse raro observatum est; constat tamen experientia illum diutius absque noxa saepius continuasse, cuius durationis longioris ratio *) ex sequentibus patefiet. Lochia in genere diutius perstare in subjectis debilibus, in subjectis, quae nec partus tempore multum sanguinis amiserunt, nec lochiis rubris largioribus donata erant, quae ubera prolibus denegant, quae largis nutrimentis et potu stimulante graviditatis et puerperii tempore utuntur, quae nimium fotum praeprimis genitalium in deliciis habent, quae ocius lectum deserunt et motu vehementiori corpus exercent, observationes docent. Si autem lochia secundum qualitatem distincta considerantur, rubra secunda aut tertia die in serosa, haec nona aut undecima die in alba transire observantur, albis lochiis tercia aut quarta septimana finem imponit. Respectu quantitatis et durationis inter lochia, qualitate sua distincta, certam rationem intercedere Stahl verbis sequentibus docet: »Lochia succendentia indolem praegressorum induunt; licet nonnullae observationes doceant, lochiis rubris parciорibus aut prius cessantibus, lochia serosa et alba quantitate augeri et diutius perstare.

11.

Quod autem vitam uteri motricem adtinet, quum uteri substantia in fibram musculararem organicam gravidit-

*) Fluxus lochialis largioris Hippocrates paradoxam adfert rationem in morborum mulier: lib. primo: «Plerumque sanae mulieri contingit, ut post puellae partum in 42 diebus diuturnissima purgatio fiat; extra autem periculum est etiam, si 25 diebus purgetur. Post masculi vero partum purgatio diuturnior fit in 30 diebus; extra periculum est etiam, quae in 20 diebus contingit.»

tatis tempore explicata esset, a partu continuat vigore excellere et fortibus primis duobus diebus per vices recurrentibus contractionibus, quae dolorum post partum nomen traxerunt, sese manifestare. Exeunt dolorum ad partum modo a regione sacrali et ad ossa pubis protrahuntur. Uterus, harum contractionum centrum, exinde musculi contrahentis adinstar inflatur, durior redditur, sensilem, si tangitur, se offerens parciorem fundit lochiorum copiam, quae doloribus post partum remittentibus largiora excernuntur. Non autem semper ejusdem fortitudinis et durationis observantur uteri contractiones. Quae eo fortiores puerperas invadunt, atque eo longioris sunt durationis (ita ut ad nonum diem sese extendere possint), quo plures partus jam praecessere; quum pluribus partubus uteri tono infracto et praevalente laxitate, fortioribus et repetitis contractionibus opus sit, ut ad debitum ambitum contrahatur uterus; et quo citius partus absolutus est, quum, quod cel. noster Boér *) adserit, definita utero insit virium muscularium summa, quae, minora sub partu impedimenta inveniens, nondum consumata, in puerperio jam sese non manifestare non potest; quo majore tandem puerperae organismus excellit irritabilitate et sensititate, unde fit, ut non solum diutius sustineantur, sed etiam vehementiores sentiantur post partum dolores.

12.

Primitus puerperii diebus vagina et partes genitales exteriores relaxatae sunt, et, qui graviditatis periodo ibidem adactus observabatur, turgor vitalis imminutus inventur. Vaginae rugae nunc magis exaequatae distingui amplius non possunt. Vagina hinc lator tertia aut quarta primum hebdomada magis contracta et angustior observatur.

*) L. Johann Boér nat. Geburtshülfe pag. 233.

13.

Mammae, quarum glandulae et vasa galactophora per graviditatis tempus explicabantur, ita ut in nonnullis gravidis secretionis munere, utero adhuc praegnante, fungantur, majores, turgescentes, venis caeruleis notatae adparent. Papillarum halones profundiore tinguntur colore, ipsae autem magis protuberant. Partu absoluto humorum major copia, quibus uterus abundabat, ad mammae derivatur, et primis diebus secretionem lactis tenuis et aquosae, colostrum dicti, procreat, quod inter liquorem amnii, qui foetum ovo occlusum ambit atque per varias vias absorptum ipsi nutrimentum largitur, et inter lac spissius, pingue et magis nutriens, quod serius ubera matris infanti praebent, terminum nutrimentorum intermedium format. Cujus secretionis initium statuitur dies, quo lochia rubra cessant, majore nunc copia humorum in mammae deducta, quae una cum vasis galactophoris turgidae sensum punctionis et tensionis caussant, frigore per totum corpus aut solum horripilationibus sese adsociantibus. Phaenomenorum hac die excitatorum et per aliquot horarum spatium perdurantium scena sudore largo, puerperae levamen adferente, terminatur. Hasce horripilations celeb. Carus *) praetereuntem cutis spasmus esse declarat, ipsi non absimilem, qui post evacuationem vesicae urinariae cutem decurrit, et qui, praeter lactis secretio- nem, solutionem laciniarum membranae deciduae et resi- duarum placenta foetalis portionum alteram caussam agnoscere potest; quippe quae solutio processui suppuratio- nis, horripilationibus saepe initium capientis, absimilis non est. Continuat autem haec lactis secretio fluxu men- struo in conspectum non prodeunte tam diu, quam stimu- lus huic secretioni proprius — lactatio — agere non desi- nit. Quemadmodum autem superius adducta lactis scatu-

*) Lehrbuch der Gynäkologie. Tom. II. pag. 130. nota secunda.

rire incipientis signa in conspectum prodierunt: ita similia, levioris tamen gradus, lactis fontem mox exhaustum iri indicant, mammis flaccidis et pendulis relictis.

Sectio altera.

14.



Mutationes, quas sensus communis, nec non reliqua organa puerperii tempore medici observantis sensibus offerunt, sequentes sunt. Defatigationis sensus, qui partu absoluto statim plurimas puerperas molestatur et doloribus ad partum, nec non nixu parturientis ad partum perficiendum in auxilium concurrente inducitur, plerumque somni reficientis necessitatem adtrahit. Somnolentia oborta somnus mox sua jura vindicat, quo et vires fere exhaustae, restaurantur et utero occasio ad priorem statum redeundi datur. Summa vero sensus communis eo inducitur mutatio, ut humorum plasticorum, quos uterus amplius recipere non valet, torrens ad alia organa dirigatur, quo fit, ut facile in dispositis concentus functionum turbetur. Si enim magnam sanguinis copiam, quae prius in cellulis venosis spongiosae uteri substantiae morabatur, et a partu, organo hoc contracto, ex plexibus venosis repulsa in reliquum systema sanguiferum suscipitur, consideramus; facile nobis patebit, plethora universalis oborta (quum sub solutione placentae et post solutam placentam, partu ad normam decurrente, exigua tantum sanguinis quantitas deperditur), orgasmo et congestione ad reliqua organa excitatis, functionum vitalium concentum facillimo modo turbari, nisi relative exaltatis functionibus organi respiratorii, dermatoi et galactopoëtici incolmis servatus fuerit.

15.

Quae ultimis graviditatis mensibus, motu diaphragmatis pro parte cohibito, minor observabatur, pulmonum

expansio , utero evacuato liberior conceditur; quo simul contingit , ut plus sanguinis recipient et, quibus praesunt, exaltentur functiones , impedimento mechanico et dynamica ad uterum , quippe cuius vita exaltata erat , relatione repressae. Qua ex caussa videbis , suppurationem pulmones devastantem , quae utero praegnante recesserat , rapi- dius et singulari cum vehementia incedere , atque in casibus longe plurimis mox lethalem evadere; haec est , in- quam , ratio cur etiam aliae affectiones horum organorum , uti: concretiones , tubercula , collectiones serosae etc., cum functiones sub puerperio eo magis necessarias , quae ex naturae lege liberiores et exaltatae esse debent , impedian , adeo periculosae evadant , ut in his febris puerperalis uni- ca ratio non raro quaerenda sit.

16.

Quum cutis munus cum organorum respirationi di- catorum functionibus magnam prae se ferat similitudinem , mutationibus in viis respiratoriis conspicuis sese adsociant mutationes systematis dermatis. Organon cutis summae et physiologicae et pathologicae dignitatis humorum im- petu huc directo , horripilationibus et nonnunquam ma- nifesto frigore excitatis , ad majorem thermogenesim et largiore transpirationem sollicitatur. Haec uberior trans- spiratio in fluidum guttans collecta (vulgo dicti sudores puerperii) , quae humorum massam imminuendo praeca- vet , ne mammae humoribus obruantur , quum sub initio in illis secretio larga contingit , quin consumptio lactis sufficiens sit , eo majus naturae beneficium habenda est , ita ut puerperae coenaesthesia inde non solum non debili- tatis , quin potius refectionis sensum prodat.

17.

Nonnulla organa , quae singulari mutationi gravidi- tatis tempore subjecta erant , redeunt ad statum ordinarium. Sic pedum oedemata , ipsorum venarum dilatationes vari- cosae , cutis color aberrans , turbae tractus intestinalis et urinae excretionis sensim evanescunt , ita ut totus organis-

mus ad normalem statum redeat. Imminutam vero observare licet primis puerperii diebus tubi alimentaris functionem, quae hoc modo aliis functionibus iisque exaltatis correspondet. Inde fit, ut organismus non tam urgentem persentiat necessitatem nutrimentorum assumendorum. Quod iterum in nexu causali exsistit cum momentosissima interna revolutione, humorum praecipue circulum respiciente, quae in universum nervorum systema summum influxum exercet. Sub tantis enim revolutionibus internis uti: sub graviditate, puerperii initio, febri inflammatoria etc. etc., organismus humanus semper minorem plasticarum materierum adsumptionem exposcit, cum metamorphosim regredientem arctioribus limitibus circumscriptam, nisum plasticum vero adactum exhibeat.

18.

Quae ante partum et sub partu locum habuerunt, excretiones alvinae primis puerperii diebus restrictae sunt, quod autem partim in minori nutrimentorum adsumptione, partim in majori intestinorum expansione, quae utero evacuato et ad minorem molem reducto possibilis redditur, suam rationem invenit. Quanti autem emolumenti sit, ut in puerpera primis a partu diebus alvi deponendae non accedat necessitas, nemo negabit, qui corpore erecto et sub nixu imprimis fortiori metrorrhagiae, prolapsui uteri occasionem facillime dari intelligit. Quod naturae sapiens molimen medicus memoriae bene imprimat, necesse est.

19.

Quod desatigationis sensum, qui post partum etiam naturalem percipitur, adtinet, licet magna systematis vasorum revolutione sustentatus fuerit, imminuitur et ad quintam, aut octavam diem usque eo recedit, ut pueroram nec quietem nec situm horizontalem amplius servare oporteat. Utero ad statum, quo ante conceptionem gaudebat, reducto, cessante lochiorum fluxu, virium vigore restituto, appetentia vigente et reliquis tractus intestinalis

functionibus ad normam redactis puerperam plenariam et ordinariam sanitatem adeptam esse, credere posses, nisi mater lactationis officio, salubri naturae lege adstricta, mammarum functione exaltata et fluxu menstruo nondum redeunte detineretur. Transit itaque puerperium in lactationem, quae puerperium prolongatum omni jure dici et ipsius pars considerari meretur.

A d p e n d i x.

20.

Facta nunc mutationum, quae in organismo femineo a partu contingunt, descriptione et redditu simul, quantum fieri poterat, ipsarum ratione, operae pretium erit, breviter adsignare, quibus puerpera ab omni alia semina distingui possit, signa. Licet unum alterumve signum nullam prorsus certitudinem pariat, cum aliae quoque morbosae partium genitalium adfectiones una cum sibi respondentibus, in partibus sympathice conjunctis, procreatris phaenomenis, pro mutationibus partu et puerperio inductis imponere possint; plurium tamen concursus tantam verisimilitudinem gignit, ut, si accedit, ut harum mutationum ratio alia sufficiens dari nequeat, cum certitudine statuere liceat, in femina breve ante tempus partum locum habuisse. Summi valoris hanc determinationem esse vel inde innotescit, quum non adeo insolitum sit, ut in medicina forensi de partu breve ante tempus absoluto et praesente puerperio a medico judicium firmum et certum ferendum sit. Discedunt autem signa, quibus mutationes sub et a partu contingentes innotescunt, in signa exteriora atque interiora.

21.

Signis exterioribus adnumerantur: 1. mammae turgidae, venis cutem pellucentibus atque nodis, lactantibus solemnibus, notatae, quarum papillae magis evolutae et protuberantes, halonibus profundioris coloris circumdatae, pressae lac fundunt; cessante lactis secretione flacci-

dae atque pendulae; 2. abdomen plicis transversis, saepius maculis fuscis et parvis, cicatrices aemulantibus, striis notatum, flaccidum ita, ut integumenta facile in plicas elevari possint, umbilicum multo relaxatum, uterum manibus explorantis primis diebus in corpus rotundum solido-molle contractum, postea uteri fundum tantum retro pubis ossa offerens; 3. pudenda exteriora primis a partu diebus tumida nonnunquam inflammata, inde sensilia, postea relaxata atque flaccida, labia pudenda majora in superficie interiore coloris obscurioris, muco albicante hinc inde rubescente obducta, ipsorum frenulum una cum perinaeo multum distentum aut rupturam offerens, vaginae orificium relaxatum, multum ampliatum.

22.

Ad signa interiora referuntur: 1. vagina relaxata, temperaturam minorem ac in grida offerens, nisi puerpera in lecto decumbit, ejus rugae transversae fere omnes exaequatae, in nonnullis ejusdem prolapsus, superficies interior copioso muco, qui colorem et odorem lochiis peculiarem refert, obducta; 2. portio vaginalis circumferrantia sua aucta, flaccida et crassa sub puerperii initio multo brevior, labia orificii uterini inaequalia, rupturis compluribus instructa, sub tactu crebro sensilia, orificio uterinum nunc foramen rotundum offerens, ab initio multum dilatatum, fluxum lochiale largiter transmittens,

Signa haec tum interiora, tum exteriora puerperio progrediente sensim sensimque magis inconspicua redduntur, tandem plurima evanescunt ita, ut exploratio quo magis a partus tempore distat, eo parciora signa offerens minorem quoque judicii ferendi certitudinem admittat. Manent nonnunquam sat conspicua et constantia signa uti: ruptura frenuli perinaei et orificii uterini labiorum, eorundem inaequalitas, portio vaginalis abbreviata, ex quibus sat tuto collimari potest, partum praegressum esse,

quin tamen de partus praegressi tempore certiores reddamur.

23.

Liceat adhuc adjicere, singulum signum in se spectatum judicium de puerperii praesentia ferendum infirmum reddere posse, quum et ab alia caussa, aut morbosa etiam affectione partium, sub puerperio peculiares mutationes subeuntium, inductum signum tantum absit, ut puerperium praesens indicet, ut ipsum nonnisi mentiatur, quumque singula signa sub certa rerum positione deficiant.

1. Mammae a quavis alia uteri, aut abdominis expansione turgidae observantur; crebra contrectatio illas flaccidas reddit et papillarum evolutionem adjuvat. Lactis secretio in mulieribus, quae diu non conceperunt, imo in virginibus suctione provocatur. Scirrus, aut abscessus mammam occupans sibi sociam glandulam in lactis, aut seri secretionem disponit. E contrario nulla observatur lactis secretio in puerperis, quae lactationem negligunt, sub partu magnam humorum jacturam passae sunt, fame aut purgantibus lactis secretionem praepediunt.

2. Abdomen sub repentina emaciatione, ascite, aut tympanitide abactis et post evacuationem sanguinis menstrualis in utero retenti flacidum et laxum observatur. Integumentorum autem abdominis laxitas locum non habet in primiparis, quarum foetus parco amnii liquore circumdatus erat, et quae cingulis et fasciis uterum gravidum diaphragma versus repulerunt.

In abdominis integumentis praesentes, cicatricibus similes, striae supra adductis morbis integumenta multum distendentibus inductae esse possunt, aut a partu longius praegresso derivandae sunt.

3. Pudenda exteriora a caussa traumatica, infectione syphilitica, blennorrhoea acri tumida, inflammata et sensilia esse possunt; laxa, flaccida, muco puriformi inquinata etiam a fluxu menstruo ad finem vergente, aut vix praegresso, a blennorrhoea chronica, fluore mucoso polypum, aut ichoroso scirrhum

uteri concomitante inveniuntur, quibus vaginae orificium relaxatum, facile ampliandum, sese adsociat.

24.

Quod autem signa interiora uti: 1. vaginam relaxatam, plicas transversas exaequatas, mucum copiosum vaginalm obducentem; 2. portionem vaginalem ambitu auctam, flaccidam, crassam, breviorem, labia orificii uterini inaequalia a partu sensilia, orificium uterinum rotundum ampliatum adtinet, haec inquam, a diversis processibus morbosis ipsum uterum et vaginalm, aut membranam mucosam occupantibus et saepius nominatis, nec non a fluxu menstruo, initio graviditatis, nonnulla etiam a caussis mechanicis induci possunt.

R e g i m e n d i a e t e t i c u m.

25.

Variae et momentosissimae mutationes, quibus puerperii tempore organismus femineus subjicitur itaque disponitur, ut potentissimis morbificis multo faciliter cedat, et magna virium vitalium consumptio, quae partus laboribus utplurimum inducitur, regiminis diaetetici valde circumspecti necessitatem extra omne dubium ponunt; quod eo tendat necesse est, ut omnia praecaveantur, quae regularem puerperii decursum turbare, ex altera parte omnia fiant, quae huic periodo proprias mutationes expedire possint. Quod a puerperis observandum est, regiminis expositio facilior admittitur, si tum vitae animali, tum plasticae considerandis operam navamus.

26.

Vita animalis pro systemate, quod occupat, nunc sensifera, nunc irritabilis suum quoque influxum in regularem puerperii decursum exserit, quippe quae frequens nobis potentiarum nocivarum offert atrium. Vitae sensiferae functiones justo regiminis diaetetici moderamini sub-

jicientes omnia, quae mentem occupant, aut animum exagitant vel deprimunt, amovere studemus, hinc librorum lectio, consortium, sermocinatio, rebus domesticis et familiaribus occupatio, quibus inquietudini, timori, irae, terrori, tristitiae et gaudio repente puerperam invadenti occasio praebetur, quantum fieri potest, praecaveantur. Quoad sensuum exteriorum functiones visus organo sufficiens *), moderata et oculis cum puerperae, tum neonati sensibilioribus admodum lux concedenda est; auditus organon, si fieri licet, amoenis et animum exhilarantibus rebus occupandum est, minime strepitu, canium latratu percutiendum. Sensus communis functio aere puro, moderate calido expedienda est, et omnia amovenda sunt, quibus nimis sollicitaretur provocando dolorem, pruritum, inquietudinem etc. In genere encephali, sensuum exteriorum et sensus communis functiones ita moderandae sunt, ut somnus, qui puerperae summus necessarius est, et qui statim a partu, si puerperae diligenter invigilatur, etiam concedi potest, debito tempore accedat.

27.

Vita irritabilis motu musculari sese manifestans, primis tribus diebus eo dirigatur, ut motus solummodo summe necessarius permittatur. Quum decubitus horizontalis et dorsalis cum minimo virium dispendio conjunctus reliquo puerperae statui summopere corresponeat, puerperis praeprimis commendetur necesse est; licet mater ubera praebens, aut ruptura perinaei laborans decubitu laterali melius sibi consulat. Motus quicunque non solum virium summam imminuendo, sed morbis uteri praeprimis favens et refrigerio ansam praebens nocet. Quum tamen puerperae, praesertim quae vel ipso partu magnam virium jacturam passae non sunt, vel deperditas cito recuperant, lectum atque quietem servare summopere fastidiant, quumque sub hoc rerum statu nec necessarium, quin imo no-

*) Dr. J. L. Voer natürliche Geburtsh. III. Th. Aphr. I. II. III.

civum sit *) illas diutius in lecto retinere, die sexta aut nona tuto concedi potest, ut lectum per aliquot horarum spatium deserant, quin motu desatigentur, quo sensim tantum membra exerceant.

Uterum in quavis semina statim a partu et absque indicatione frictionibus ad uteri fundum per abdomen applicatis ad contractionem sollicitare non minus haemorrhagias excitando nocet, quam praesenti indicatione haemorrhagiis praepediendis et praesentibus tollendis par redditur **).

28.

Vitam plasticam respiciendo puerperii regimen diaeticum ordinans medicus in tubi alimentaris functiones, nec non in secretiones et excretiones varias attendat oportet.

Canalis alimentaris functio adminiculis externis — cibo et potu expeditur. Apud puerperas medicus in nutrimentorum selectum bene attendat necesse est, quum ut cel. Joerg autumnat puerperae adeptentia saepe saepius in nociva convertitur. Primis tribus aut quinque diebus juscule carne bubula, vitulina, aut pullorum, ovis aut pane albo incoctis parata, juscule ex oryza, hordeo perlato, sago decoctis confecta, embamata puerperae porrigenda curet et adeptentiae alioquin minus urgenti satisfaciat medicus, qui posteris diebus nutrimenta sic disponere sciat, ut puerpera pristino nutrimentorum genere sensim sensimque uti incipiat, quae tamen nec serius solo lactationis officio occupatae admittenda essent, si crudiora, tenaciora, digestu difficilia, acido primarum viarum et flatibus faventia in consuetudinem cesserunt.

Potus ex decocto, aut infuso folior. aut flor. althaeae, verbasci et similiu puerperae parandus et egelidus aut potius tepidulus subministrandus est. Cel. Boer emulsa et

*) Stoll ratio medendi. Vienn. 1778. P. II. pag. 76.

**) Boer l. c. Tom. II. aphor. nonus.

aquosa magna copia ingerenda tepida puerperis pro potu non esse subministranda suadet; et nisi morbus praesens alia expetat, cibum et potum, qui in consuetudinem cesserunt, puerperis concedendos esse, quod tamen adseratum, ut ipse docet, cum grano salis sumendum est. A nona die nonnunquam etiam prius in debilibus, emaciatis simul ubera praebentibus, cerevisiae, et in multum debilitatis, vino adsuetis, vini aqua remixti pro potu adhibendi occasio dabitur. Potus temperaturam ordinanti regulae adinstar sit: quo plus expetitur potus frigidus, eo minus est concedendus. Puerperis, quae infanti ubera non praebent, victus ad juscula, et potus ad theatum tepidulum restringendi sunt, quamdiu ubera lactis copia molestantur.

29.

Inter se- et excretiones alvina, urinarum, fluxus lochialis, cutis et lactis hac periodo maximi sunt momenti. Alvi excretio primis diebus ex naturae lege raro locum habet, hinc nec sollicitanda, minime purgantibus, quum ut cel. Boër nos edocet, nil plus morbis adducendis faveat, quam purgans cum diaeta simul restricta. Posthac et faecibus accumulatis hoc quoque collatorium enematis, dein etiam eccoproticis et purgantibus mitioribus liberum servandum est. Nixu fortiori alvinam excretionem sibi procurare velle, quod, quae enemata extimescunt, facere solent, puerperis desuadendum est. — Urinam ut puerpera crebro mittat, inde vel maxime necesse est, quod vesica urinaria majori urinae copiae retinenda ex graviditatis tempore desueta, irritationem ad uterus propagandam concipiat, quae in mala varia nonnunquam lethalia transire potest. Hinc si ex tumore inflammatorio, spasmo etc. urinarum retentio observatur, missionem fomentis, catalasmatibus procurare, his non juvantibus, aut circumstantiis magis urgentibus cathetere adplicato urinam educere studebit medicus.

30.

Cutis functio praecipue transspiratio sub puerperii initio,

ut bene procedat, curandum est; hinc etiam necesse est, ut puerpera aëre ambiente moderato calido, lecto moderate tecta decumbat, et potu utatur tepidulo. Aequabilem temperaturam servare omnibus puerperis proficuum est. Sudorem autem medicaminibus diaphoreticis, aëre ultra necesse calente, puerpera stragulis obruta extricare velle non nocere non potest. Hujus regiminis calidioris, stragulorum tempore et potibus calidis procurandi, etiam cel. Stoll *) magnus est oppugnator. Puerpera jam deambulante vestimentorum ratio ea sit, ut cutem in transspiracionem proniorem frigore admissa in functione non turbet. A transpiratione largiore, sudore non raro accidente, fluxu lochiali indusia et linteamina inquinantur; ut itaque mundities summe necessaria servetur saepius cum lotis commutanda, quae, ut calefacta puerperae subministrentur, est quod admoneam. Invigilandum est, num fluxus lochialis debitae quantitatis et qualitatis sit. Munditiae causa, et ne fluxus lochialis tempore corruptus morbi somitem sistat genitalia ab eo inquinata bis intra nychthemerum aqua tepida, rarissime nisi morbus indicat, spiritu vini remixta purganda sunt.

31.

Maximi momenti et summe necessaria, quippe a qua matris et neonati sanitas, non raro etiam vita dependet, est lactis secretio. Naturae et moralitatis lex jubet, matris et infantis sanitas et vita, ut incolumes serventur, suadent, animalium exemplum docet, infantis matrem una etiam infantis nutricem esse. Mater itaque et nutrix sit; nisi impotentia lactandi adest, aut mala graviora ex lactatione prodeuntia imminent.

Mater lactationi sese subducens, quo prius infantem überibus admovet, eo melius et suae et infantis saluti consilit **), quum hoc modo ubera a nimia lactis copia liberentur et haustum ab infante colostrum meconium educat.

*) M. Stoll rat. med. Tom. II. pag. 76.

**) Boër lib. cit. Tom. I. aphor. undecim.

Optimum uberum praebendorum tempus ab aliis declaratur, si puerpera somno primo recreata fuerit, quod intra primas 12 horas post partum fit. Nonnunquam juvabit papillas ad lactationis munus praeparare, quae si epidermide teneriori instructae sunt, spiritu vini lavandae, altera alteri in munere fungendo saepius substituenda est, et si justo minus protuberant, digitis adprehensae, vitro suctorio prolongandae sunt. Si autem mammae lacte repleri haesitant, linteaminibus siccis calidis fovendae, suctione et decubitu laterali in lactis secretionem disponendae sunt. Conducit mammis initio saepius infantem admovere et alternare ita, ut tertia aut quarta quavis hora altera mamma porrigenda sit. Quod si ex morbo, aut vitio mammarum in lactationis officio mater impeditur, prout vel nulla locum habet lactis secretio — solum a cibo et potu nutriente abstineat, vel lactis secretione bene vigente et mammis turgidis, insuper mammae suctione per vetulam edentulam aut ope vitri suctoriis instituta, nec non vasorum absorbentium munere per fomenta vel cataplas mata sollicitato a nimia lactis copia liberandae sunt. Purgantium in cohibenda lactis secretione primis a partu diebus effectus praestans non minus, quam damna, quae inde redundant, inter auctores constant.

Hippocratis Coi de mulierum morbis liber I. et II.

Georg. Hen. Behr, Physiologia medica. Strassburgi 1736.

Albert. Haller, Elementa physiologiae corporis humani.

Lausan. 1756 — 66.

Luc. Joh. Boér, Natürliche Geburtshülfe. Wien 1810.

Lud. Fr. v. Froriep, Handbuch der Geburtshülfe. Weimar 1820.

Joh. Chr. G. Joerg, Handbuch der Geburtshülfe. Leipzig 1820.

Joh. Phil. Horn, Lehrbuch der Geburtshülfe. Wien 1825.

A. Elias v. Siebold, Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Frankfurt 1821.

C. Gustav Carus, Lehrbuch der Gynäkologie. Leipzig 1828.

Joseph Bernt, Systematisches Handbuch der gerichtlichen Arzneykunde. Wien 1828.

T H E S S.

1.

Nec desit medico artis suae classicorum studium, nec eorum, quae coaetanei in artis emolumentum moluntur, cognitio.

2.

In parte organica viva processus mere chemicus non datur.

3.

Functionum vitalium abolitarum redditus impossibilitas mortis certissimum signum.

4.

Lues venerea non sanatur nisi febri mercuriali.

5.

In morbo e contagio enato morbus topicus necessarius.

6.

Praescribuntur medicamenta etiam non necessaria in aegri, medici et pharmacopolei emolumentum.

7.

Methodus stimulans non semper est symptomatica.

8.

Formulae medicamentorum nimis compositae raro rationales.

9.

Naturae sanantis existentiae Homoeopathia sistit argumentum, non novum sed scientificum.

10.

Methodus expectativa in arte obstetricia non negligenda.

11.

In rerum natura mors non datur.

12.

Finis fluxus menstrui adhuc ignotus.





NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIŽNICA

COBIS



00000349651

VINDOBONAE,
TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

—
MDCCXXX.